Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Qui negat alium vel fratrem vel famulum vel quemcumque et si flagellatum viderit et quamvis patientem non assistit non adiuvat. Ita vult corpori nostro nos non ignoscere ut et si flagellaverit vel quod cum aliud fecerit, corpori non parcamus. Hoc est enim parcere. Sicut patres tunc ignoscunt filiis cum magistris eos tradentes iusserint ut non parcant. Sed ex extremis quod usque ad ultima tendit et excellentias apte abnegare seipsum ostendit usque ad quantum abnegare seipsum oportet, quia usque ad mortem et turpissimam scilicet crucis, quod significat id quod dicit: Et tollat crucem suam et sequatur me. Hilarius. Sequendus est enim dominus cum cruce assumpta et passionis suae, etsi non sorte, tamen voluntate comitandus est. Crisostomus. Quia et latrones multa gravia patiuntur, ut non existimes quod passio malorum sufficiat, adiungit causam patiendi cum dicit: Et sequatur me, ut propter eum omnia sustineas et alias eius virtutes addiscas. Hoc enim est sequi Christum, ut et diligentem esse circa virtutes et pati omnia propter ipsum. Gregorius. Duobus autem modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Sed quia ipsis virtutibus quaedam vitia iuxta sunt, dicendum nobis est quod abstinentiam carnis nonnumquam vana gloria obsidet, quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur. Compassionem vero animi plerumque latenter obsidet pietas falsa, ut hanc nonnumquam usque ad condescendendum vitiis pertrahat. Unde ad haec excludenda subditur: Et sequatur me. Ieronimus. Vel aliter tollit crucem suam qui mundo crucifigitur; cui autem mundus crucifixus est, sequitur dominum crucifixum. Crisostomus. Deinde quia grave videbatur quod dixit, per ea quae sequuntur id mitigat, praemia ponens superexcedentia labores et malitiae poenas. Unde sequitur: Qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet eam. Origenes. Quod dupliciter potest intelligi: primum sic: si quis amator vitae praesentis parcens animae suae, timens mori et putans animam suam per hanc mortem perire, iste volens hic non salvare animam suam perdet illam, alienam faciens eam a vita eterna. Si quis autem contempnens vitam praesentem usque ad mortem pro veritate certaverit, perdet quidem animam suam quantum ad vitam praesentem, sed quoniam propter Christum addidit perdidit eam, magis eam salvam faciet in vitam eternam. Alio modo sic: Si quis intelligit quae est vera salus et adquirere vult eam, ad salutem animae suae iterum abnegans semetipsum perdit quantum ad voluptates carnales animam propter Christum, et perdens animam suam hoc modo salvat eam per opera pietatis. Unde est: Qui voluerit perdiderit et sequente unum sensum esse ostendit. Significat quod dixit supra: Abneget semetipsum. Beda. De morte corporali dixit; verum hoc de morte secunda intelligere debemus. Si autem abnegare semetipsum est carnalem conversationem relinquere, et perdere animam est deponere voluptates carnales. Crisostomus.

Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur.

Quia dixerat qui vult salvare perdet et qui perdet salvabit, utrimque et perditionem salutem et perditionem ponens, ne aliquis existimet equalem esse hinc inde perditionem et salutem, subiungit: Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur animae vero suae detrimentum